

tum ardentem reddere possint. E. musto, saccharo & similibus ne guttam spiritus, vinosi impetrabis, nisi fermentatio præcesserit. Parantur quidem etiam spiritus sola affusione & cohobatione spiritus vini e plantis potissimum aromaticis, antiscorbuticis, nec tamen sine spiritu, per fermentationem prius parato, addito, qui particulas sibi homogeneas tantum abradit & evehit. Qui vero etiam absque mediis his, sola destillatione, spiritum talem quarunt, loco hujus, etiam e plantis licet maxime aromaticis, nihil nisi phlegma & oleum invenient.

Thef. 9.

Adeoque ex his omnibus etiam liquet, quod spiritus ardentis e folis vegetabilibus, fermentationi tantum aptis, parari possint; Hæc enim sola succis ejusmodi pingvibus, ☉is & urinosis terra nutrita, propter continuas germinationes & vegetationes, jam tum continuam quasi & naturalem fermentationem patiuntur, unde particulae eorum salino-☿æ a natura ita modificantur, ut accedente calore & motu artificiali extrinseco eo facilius in auram ejusmodi spirituosam phlegmati sociabilem resolvi possint: Tentarunt quidem Rob. Boyle & alii negotium hoc etiam cum animalibus, & in primis sanguine humano, vel alio, sed irrito semper successu, non quod hæc ☿eo principio destituantur, sed quoniam succi horum per tot digestiones, circulationes, & translocationes adeo purificantur & intimius uniuntur, ut motus ejusmodi fermentativos haud subire, consequenter neque spiritum talem suppeditare possint. Ita quoque mineralia ☿ quidem suum e terra succis habent, sed a coherentibus partibus terreis metallicis aliisque nimis fixatum, ut nulla ratione in fermentationis motum redigi possint.

Thef. 10.

Relinquitur igitur spiritus ardentis e folis vegetabilibus fieri, utrum vero ex omnibus herbis, fructibus & seminibus impetrari possint, curiosum magis, quam utile esset experiri. Quamvis vix ullum reperiri putem, quoniam singula succis iisdem salino-☿eis nutriuntur, e quo, quantum quantum sit, Chimia non ostenderet, si necessitas urgeret. Aromati-